

« tionabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ necessitas, « excusaret. »

Hinc concludimus 1° Canonicos absentes ratione vacationum non lucrari distributiones quotidianas, nisi ob corporalem infirmitatem versentur in necessitate abscedendi. 2° Nec etiam vicarios generales, aliosve officiales Episcopi aut capituli qui non assistunt choro, dum interesse possent non obstante suo officio, distributiones quotidianas lucrari. Ita fuisse resolutum quoad utrumque casum refert Benedict. XIV loco citato, n^{is} 56, 57, 58. 3° Lucrari distributiones qui actu detinentur ab Episcopo ob utilitatem diœcesis, sive ut ei celebranti assistant... item qui ab Episcopo vel a capitulo deputantur Romani, vel ad concilium provinciale... qui domi retinentur infirmitate... Theologalem die quo suo munere fungitur, Archipresbyterum, Pœnitentiarium, dum suis officiis vacant.

II. Quoad distributiones *manuales*, quæ nimirum fiunt occasione alicujus servitii extraordinarii, ut puta anniversarii, seu funeris ad quod canonici invitati sunt, ratio habenda est intentionis donatorum. Si fundator expetierit anniversarium celebrari a capitulo, non adjecta conditione ut distributio fiat tantum inter præsentem, standum erit consuetudini locorum: porro usu receptum arbitramur ut res eodem modo componantur ac pro distributionibus quotidianis. Meminerint vero quotquot convocantur ut officio anniversarii vel defuncti exsequiis intersint, teneri titulo non solum pietatis, sed etiam justitiæ, adesse officiis, et preces pro defuncto offerre.

444. — *Utrum et quatenus Episcopus teneatur invigilare ne capitulum et canonici suo officio desint?*

Episcopus debet paterno moderamine et affectu habere capitulum, et dimittere dignitatibus curam providendi recto illius regimini, quod tamen pastoralem sollicitudinem non excludit. Si enim dignitates suo officio, ea qua par est diligentia, fungi negligant, aut si abusus irrepserint quibus evellendis non suffi-

cient, Episcopus non solum jure potest, quin etiam strictè tenetur sua auctoritate intercedere, ut cuncta ad præscriptum sacrorum canonum componantur, quantum sinit conditio temporum. Hinc concilium Tridentinum voluit ut « capitula « cathedralium et aliarum majorum Ecclesiarum, illorumque « personæ, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, « juramentis, concordiis, quæ tantum suos auctores obligent, « non etiam successores, tueri se possint, quominus a suis Episcopis, per seipsos solos, vel illis quibus sibi videbitur ad- « junctis, juxta canonicas sanctiones, toties quoties opus fuerit, « visitari, corrigi et emendari, etiam auctoritate apostolica, pos- « sint et valeant. » (Sess. vi, cap. iv.) In alio decreto, nempe in cap. vi, sess. xxv, idem concilium declarat Episcopum, ejusque loco vicarium ab eo deputatum, posse etiam extra visitationem procedere ex officio, vel ad petitionem alicujus, adjunctis duobus de capitulo, et formam in processu servandam describit, statuendo nihilominus has restrictiones locum non habere « in « iis Ecclesiis in quibus Episcopi, aut eorum Vicarii, ex consti- « tutionibus, aut consuetudinibus, seu quocumque alio jure, « majorem habent potestatem, auctoritatem ac jurisdictionem, « quam præsentem decreto sit comprehensum, quibus sancta sy- « nodus derogare non intendit. »

Potest proinde Episcopus, non solum edicere mandata (n^o 595), sed visitare capitulum et singulares canonicos, ut, quantum opus fuerit, emendet atque corrigat abusus forte introductos, rationes honorum temporalium capituli examinet, disciplinam chori instaurari provideat. Valet præterea, servata forma, procedere in canonicos absentes a choro, vel aliter contra canones delinquentes, usque ad privationem tituli.

ARTICULUS V. — DE JURIBUS CAPITULORUM ET CANONICORUM.

In prima parte *Prælectionum canonicarum* diximus de jure capitulis cathedralibus tributo providendi regimini diœcesis,

sede episcopali vacante, et deputandi ad concilium provincie (n^o 202 et 225). Superest ut perpendamus quis gradus honoris capitulis assignetur, quas partes habeant in regimine diocesis, et in suo proprio regimine.

415. — I^o *Quis gradus honoris capitulo Ecclesie cathedralis assignetur?*

Capitulum jus habet præcedendi, quando cœtibus ecclesiasticis adsistit, omnes clericos, regulares, parochos, et alia capitula collegiatarum, quia repræsentat Ecclesiam cathedralem, quæ est mater omnium ecclesiarum diocesis. Si vero non assistat capitulariter sed per deputatos, deputati sedent post abbates titulares, post etiam habentes usum mitræ, et cæteros abbates commendatarios. (*Cæremoniale Episcoporum*, lib. I, cap. xxxi.)

416. — II^o *Quas partes capitulum habeat in regimine diocesis, et præsertim Ecclesie cathedralis?*

I. Ex textibus juris, in titulo DE HIS QUÆ FIUNT A PRELATO SINE CONSENSU CAPITULI insertis, Episcopus non deberet negotia graviora suæ Ecclesie sine capitulo tractare; hæc enim statuit cap. *Novit*, 4: « Novit tuæ discretionis prudentia qualiter tu et fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput, et illi membra esse putantur. Unde non decet te, omissis membris, aliorum consilio in Ecclesie tuæ negotiis uti, cum id non sit dubium et honestati tuæ et sanctorum Patrum institutionibus contraire. » Hæc rescripsit Alexander III ad patriarcham Hierosolymitanum; cui iterum cap. *Quanto*, 5, mandavit ut « in concessionibus et confirmationibus et aliis Ecclesie suæ negotiis » suos fratres, utique canonicos, requireret, et cum eorum consilio, vel sanioris partis, quæ statuenda essent statueret.

/// Hæc ponderans Benedictus XIV in suo opere *de Synodo* concludit: « Profecto ambigi non potest quin etiam hodie, jure Decretalium, canonici Ecclesie cathedralis sint consilarii nati Episcoporum, adeo ut non liceat Episcopo aliquid gravis mo-

« menti aggredi et deliberare inconsulto capitulo. » Lib. XIII, cap. I, n^o 5-6.

II. Canonistæ casus indicant pro quibus Episcopi tenentur, ex veteri jure, exquirere consilium, et casus pro quibus habere debent consensum capituli, majoris scilicet partis canonicorum, ut valide procedant.

1^o Casus pro quibus Episcopi, ex jure in decretalibus inserto, debent exquirere consilium sui capituli, tametsi non teneantur illud sequi, sunt generatim negotia quævis ardua, quæ prudentia non sinit expediri absque matura prævia deliberatione, v. g. indictio synodi, promulgatio statutorum synodaliū et aliorum statutorum extra synodum, judicia clericorum in causis criminalibus, indictio supplicationum solemnium.

2^o Casus in quibus accedere necesse est consensum capituli, sunt generatim negotia graviora quibus generari potest nocuum Ecclesie aut successoribus Episcopi. Hujusmodi sunt ex sacris canonibus et doctrina canonistarum: ordinatio rerum quæ ad capitulum simul et ad Episcopum spectant, vel ad statum Ecclesie cathedralis: v. g. cessio quorundam jurium, privilegiorum, seu prærogativarum sedis Episcopalis..., alienatio bonorum temporalium immobilium aut mobilium pretiosorum..., oppignratio, fideijussio, mutuum quibus eadem bona gravantur..., concessio Ecclesie parochialis facta monasterio, quæ æquiparatur alienationi..., unio, disjunctio, et suppressio beneficiorum... Postulatio subsidii caritativi quo clerus provideat de suis facultatibus necessitatibus Episcopi, seu Ecclesie..., sententia depositionis in beneficiatum lata, degradatio clerici e suo statu.

III. Hæc indicta reperiuntur in Decretalibus; sed ex iisdem Decretalibus SS. Pontificum notum est eam vim habere consuetudinem, quando legitime præscripta fuit, ut jurisdictionem episcopalem expedire valeat ab hujusmodi limitationibus, adeo ut Episcopi procedere possint inconsulto capitulo in pluribus etiam casibus in quibus jura requirebant olim illius consensum. Id sua auctoritate sanxit Bonifacius VIII, cap. *Non est*,

3, DE CONSUETUDINE, in VI^o, et est aliunde consecrarium principii generalis (n^o 12). « Ab obligatione petendi consilium capituli solutus erit Episcopus, ait Benedictus XIV, qui per legitime præscriptam consuetudinem, jus sibi acquisierit novas leges condendi et publicandi, inconsulto capitulo. » (*De Synodo*, lib. XIII, cap. 1, n^o 9.)

Hanc consuetudinem in plerisque Ecclesiis, imo in Ecclesiam universalem prævaluisse, quoad plures casus ex modo positus, testantur communissime canonistæ. — « Fere ubique, ait Ferraris, habetur in plurimis consuetudo, qua legitime extante, non amplius requiritur capituli consilium; et de facto quod capitulum cathedrale subjiciatur constitutionibus synodalibus, et aliis legibus, etiam per edicta panditis, sine consilio capituli, respondit novissime S. Congregatio. » V^o *Capitulum*, art. II, n^{is} 28 et 29. « Hactenus dicta, inquit Andreucci, de expectando, vel exquirendo consilio capituli, habent duntaxat locum, ubi et quando contraria consuetudo non fuerit legitime præscripta; nam ubi fuerit talis contraria consuetudo, non solum est attendenda, sed æquiparatur privilegio prælati. Unde tunc prælatus veluti ex privilegio in casibus expressis potest operari sine consensu et sine consilio capituli quoad validitatem... Limites cum Barbosa, ut id non procedat iis in rebus quæ nulla possunt consuetudine præscribi: sub qua limitatione intelligendum esse puto Lambertinum docentem: *asserì posse hodie titulum DE HIS QUÆ FIUNT A PRÆLATIS SINE CONSENSU CAPITULI, recessisse ab aula, siquidem hodie Episcopi fere omnia expediunt sine consensu capituli.* » (*De tuenda pace*, etc., part. IV, n^o 215.)

Non alia fuit praxis Episcoporum Galliæ a tempore concordati ad præsentem ætatem quam suorum prædecessorum sæculis proxime elapsis. Communiter quidem inseritur in mandatis et statutis episcopalibus vetus formula: *De consilio venerabilium fratrum nostrorum, dignitatum et canonicorum capituli*; verum compertum cuique est Episcopos non se exis-

timare lege adstrictos, sed liberos prout sibi opportunum videtur, pro adjunctis rerum, aut consilia suorum respective capitulorum postulare, aut a consiliis exquirendis abstinere, et quandoque eandem formulam ex more solito inseri licet exquisitum non fuerit consilium capituli¹.

Res eo devenerunt ut difficile designari possit, pro nostris provinciis, qui sint in specie casus ex supra indicatis quos Episcopus non valeat expedire inconsulto capitulo, in iis quæ sunt regiminis diœcesis. Non inde concludas naturam et destinationem capitulorum immutatas fuisse, et incassum postremis temporibus SS. Pontifices ea instaurasse ut providerent consilio Episcoporum, atque Ecclesiarum administrationi. Capitula sunt hodierna ætate, non secus ac sæculis præteritis, instituta ut Episcopum juvent in regimine diœcesis, illumque suppleant sede vacante; Episcopus jure potest, imo etiam debet consulere capitulum suæ Ecclesiæ cathedralis quando opportunum existaverit, ita exposcente gravitate causarum; et Episcopo postulante, capitulum ex officio tenetur operas impendere ut illum suis consiliis atque concursu adjuvet.

IV. In negotiis quæ ad Ecclesiam cathedralem attinent, vetus disciplina vim suam magis servavit. Ex jure communi, receptissima doctorum sententia, et Ecclesiarum firmata praxi, administratio pertinet *cumulative* ad capitulum cum Episcopo, adeo ut Episcopus nihil notabile statuere debeat in regimine Ecclesiæ cathedralis, absque assensu majoris partis capituli. Ita fuisse constanter observatum in Galliis, usque ad tempora perturbationis, versus finem sæculi proxime elapsi, eadem ratione ac in cæteris regionibus, testantur auctores qui disciplinam Ecclesiæ Gallicanæ certo noverant. « L'Église cathédrale, ait Ducasse, est commune à l'Évêque et à son chapitre. De là il

¹ Perperam exinde concluderetur Episcopos adhibuisse formulas mentales; sed idem dicendum quod de multis cancelliarum formulis quæ ex veteri more inseruntur, in memoriam status rerum præteriti, cujus ea ratione vestigium servatur, et quæ neminem fallunt.

« s'ensuit que, quoique l'Évêque y tienne le premier rang, il ne peut pas néanmoins disposer de ce qui appartient à l'église, ni même y faire des changements considérables sans le consentement du chapitre... Il y a beaucoup de chefs sur lesquels le concile de Trente ordonne aux Évêques d'agir de concert avec leurs chapitres. On peut les réduire à ces deux chefs : savoir, à ce qui concerne directement la cathédrale, comme l'ordre du service divin, l'usage des prières et des cérémonies. C'est principalement sur ces points que l'Évêque ne peut rien faire que de l'avis de ses chanoines qui, pour cet effet, sont appelés ses conseillers et ses coadjuteurs. Il y a d'autres chefs qui regardent le gouvernement du diocèse, savoir, les constitutions synodales, les ordinations des clercs, le choix des prédicateurs, la collation des bénéfices. Dans ces sortes de matières, on convient que ce n'est que par bienséance et pour marquer l'estime qu'un Évêque a pour son chapitre qu'il prend son conseil ¹. »

Non quidem ex mera condecencia olim Episcopus debebat exquirere consilium vel etiam consensum capituli, in tractandis negotiis quæ referuntur ad regimen diœcesis ; sed quo devenerit disciplina, quæ sua ætate vigerit consuetudo, ante perturbationem rerum Gallicarum, scriptor citatus exponit.

Nihil obstare videtur quominus in statu præsentis, capitulis serventur præcipua saltem jura quibus tunc temporis fruebantur, quoad ea quæ ad ipsummet capitulum et Ecclesiam cathedralis Episcopo dimittitur ; unde potest canonicos assumere in consiliarios hujus fabricæ. Optandum ut in ea parte instauratur disciplina canonica ; sed hæc componere inter Episcopum et capitulum non est officium canonistæ.

¹ *Traité des droits du chapitre*, sect. III. Cf. Gohard, *Tr. des Bénéfices*, tom. I, pag. 362 ; — Durand de Maillane ; — Bergier, *Dictionnaire* ; — Pontas, *Dictionnaire abrégé* ; — Lacombe, *Recueil de jurisprudence*.
^v *Chapitre*.

417. — III^o *Quæ sint jura capituli quoad suum proprium regimen ?*

Dictum est in præcedentibus, capitulum posse sibi statuta dare, dummodo nihil habeant contrarium disciplinæ generali Ecclesiæ, vel mandatis Episcopi (n^o 394). Potest plectere canonicos transgressores statutorum dummodo pœna non excedat limites correctionis. « Capitulum, ait Pirhing, etiam sede plena, potest pœnas imponere transgressoribus suorum statutorum. » (In tit. DE MAJORITATE ET OBEDIENTIA, n^o 43.) Excederet limites si præsumeret privare canonicos voce activa in conventibus capitularibus, aut eos declarare inhabiles ad officia ; sed valet in eos animadvertere mulcta pecuniaria, pro negligentis atque levibus excessibus quæ commiserint, sive intra sive extra ecclesiam, in functionibus tamen clericalibus in quibus capitulum procedit sub sua cruce. Conditions, pro casu inflictæ pœnæ pecuniariæ, apponi voluit S. Congregatio : 1^o ut mulcta non excedat summam consuetudine seu statutis determinatam ; 2^o ut summa non cedat in favorem canonicorum, sed erogetur in usus pios. (*Thesaurus Resolutionum*, t. VII, an. 1735, p. 165.)

Capitulum potest eligere et revocare adjuutores chori, cantores, bidellos et alios inservientes ; potest etiam eos punire. Reservatur autem Episcopo facultas eosdem officiales et inservientes removendi, justa intercedente causa.

418. — IV^o *Quæ sint jura dignitatum et canonicorum ?*

I. Jura dignitatum correspondent obligationibus de quibus supra dicebamus (n^o 409) ; jura enim et obligationes simul ordinantur, in eundem finem conspirant. Hæc speciatim notanda :

1^o Prima dignitas præcedit omnes canonicos, tum in choro, tum in cœtu capitulari ; altera immediate subsequitur, et sic deinceps de cæteris, servato ordine statutis vel consuetudine capituli præfixo.

In choro dat signum incipiendi et inchoandi divinum officium,

et e choro exeundi, persolutis officiis. Reliqua vero munia ad regimen chori spectantia pertinent ad canonicum qui habet officium cantoris. (S. R. C., die 30 aug. 1692.)

Fungitur officio presbyteri assistentis, quando Episcopus celebrat solemniter. (*Cæremoniale Episcop.*, lib. I, cap. xxvi.)

Episcopo ægrotanti defert sacrum viaticum. (Ibid., lib. II, cap. xxxviii.)

Episcopo absente, aut impedito, celebrat officia solemnia in festiuitatibus quæ dici solent *Pontificales*, quasque determinavit *Cæremoniale* (lib. II, cap. xxxiv.)

Quando prima dignitas non potest celebrare officia in diebus solemnibus, aut alia munia obire quæ sibi jure obveniunt, non debet alium canonicum, ad suum placitum, substituere in sui locum; nec ipse Episcopus debet, se impedito, id munus alteri delegare; sed hæc pertinent ad secundam dignitatem, et illa deficiente, ad eum qui proxime succedit. (*Cæremoniale*, lib. I, cap. xxvi. S. R. C., die 23 mart. 1709.)

Vicarii generales idcirco suppleunt vices Episcopi in supra dictis officiis, quod habeantur primæ dignitates in choro et extra chorum, vi statutorum capitularium. Ubi hæc statuta mutata sunt, canonici sequuntur regulas generalis *Cæremonialis*.

De jure convocandi capitulum infra dicemus (nº 420).

2º Jura dignitatum inferiorum et officiorum determinantur singulorum capitulorum statutis, et praxi communi, ubi statuta nihil præfinierint.

419. — II. Jura singulorum canonicorum, quæ scilicet ipsi canonicatui annexa sunt, referuntur ad perpetuitatem tituli, admissionem in chorum et in cœtum capitularem, fruitionem præbendæ et distributionum, præcedentiam, usum insignium.

1º Canonicus suum titulum servat in perpetuum, nisi sponte cedat aut judicio privetur in pœnam delicti, quod etiam de canonicis honorariis dicendum arbitramur. Re quidem vera, canonicatus honorarius collatus fuit in perpetuum et habetur in

communi existimatione pro titulo permanenti; quapropter ejusdem tituli privatio, si arbitrario fiat, lædit jus acquisitum, et insuper quamdam infamiæ notam inurit sacerdoti. An requiratur judicium, juxta formas assuetas juris, ad privandum canonicum honorarium suo titulo, decernere noluit S. Congregatio Rituum, ea de re consulta ab Episcopo Valentinensi in Gallia; id solummodo consilium dedit Episcopo ut non veniret ad privationem, nisi quando exigit indigna sacerdotis conversatio, ut contra illum de more procedere necesse sit ad majora scandala prævenienda. (S. R. C., die 11 sept. 1847.)

2º Fruitur proventibus præbendæ et distributionibus, sub conditionibus supra expositis.

3º Canonici qui nec capitulariter incedunt, nec a capitulo sunt deputati, nec Episcopo associati, nullam habent præeminentiam in alios clericos diœcesis: servatur ordo præscriptus pro omnibus clericis, ratione habita ordinis, et antiquitatis. — Si suum Episcopum comitatu honestant, sedent, etiam in Ecclesiis alterius diœcesis, ante simplices clericos, et ante ipsummet parochum Ecclesiæ, quia considerantur tanquam uniti suo capiti, quod etiam de canonicis honorariis definitum fuit a S. Congregatione Rituum 19 maii 1858. — Inter se, quando choro aut conventui capitulari adsistent, servant ordinem statutis præfixum: sedent primo loco dignitates, deinde officia et personatus; alii postea, servato installationis ordine.

4º Si forte sint inter canonicos qui insigniantur titulo protonotariatus apostolici, servant locum sui ordinis, ut canonici, quando incedunt in habitu canonicis communi. Si vero uti velint habitu prælatitio, nempe rocchetto cum manteletto¹,

¹ Mantelettum vocant vestem breviorē apertam, ita ut per scissuras brachia extrahi possint; illam prælati gestant super vestem inferiorem talem, quando incedunt in habitu prælatitio. Color manteletti determinatur ex gradu prælaturæ. Porro Protonotarii nullam prælationem, id est jus præcedentiæ sibi arrogare valent, nisi quatenus habitu prælatitio utuntur: c. absque dictis insignibus, ait Riganti, reputantur et habentur uti privati

sedent post canonicos; reputantur enim quasi extranei, nulloque jure præcedentiæ gaudent in capitulo. Extra chorum, Protonotarii, nedum *ad instar participantium*, sed et etiam honorarii, qui *titulares* vocantur, dum incedunt induti habitu prælatitio, præcedunt omnibus clericis, sacerdotibus simplicibus, et ipsis canonicis, singulatim sumptis, non coeuntibus in collegium (nº 125).

Vicarius generalis, si sit e gremio capituli, et choro intersit cum habitu canonicorum, suum locum habet inter cæteros, nec ab eis ulla præeminentia secernitur. Si vero intersit in habitu vicariali, præcedit dignitatibus et canonicis veste choralis indutis. Porro habitus vicarialis est vestis talaris cum mantello et biretto; etenim vicarius generalis, qua talis, non est canonicus, quapropter non debet induere vestem choralem canonicorum; nec etiam est necessario presbyter, aut sacris ordinibus initiatus; sufficit ut sit clero cooptatus per primam tonsuram: ergo vestem tantum clericalem induit quoties non alio titulo interest quam vicariatus generalis.

Hæc dicta sint ad præscriptum juris communis; apud nos vero quid usu servetur, dictum fuit supra (nº 598).

5º Canonici jus habent utendi insignibus suo capitulo attributis. Plerumque conceduntur rocchetto, almutium et mozetta; quandoque etiam datur cappa magna; imo sunt nonnulla capitula quæ condecorantur pontificalibus.

Cum non sinat ratio nostri instituti, ut de his insignibus per singula tractemus, duo tantum notabimus. 1º Juxta disciplinam consuetudine inductam, quam non semel declaravit S. Congregatio Rit. stricte servandam, necessarium est Indultum Apostolicum ut canonici assumant insignia, vel data insignia mutant. Episcopis quos S. Sedes promovit post initum concordatum an. 1801, concessa fuit per subdelegationem Card. Legati, facultas concedendi canonicis insignia choralia quæ illis convenire

« clerici, vel presbyteri, nulla dignitate decorati. » *De Protonotariis apostolicis.*

arbitrarentur. 2º Canonici insignibus sui ordinis uti debent, jure saltem communi, tantummodo in sua propria Ecclesia, et extra Ecclesiam quando capitulariter procedunt, ut in publicis supplicationibus; « non autem si intersint ut singuli, nisi speciale « privilegium nedum collegium comprehendat, verum etiam « singulariter et distincte ad personas extendatur. » Ita censuit S. Congreg. cujus decretum evulgari jussit Pius VII pridie nonas junii, an. 1817. Ratio est quod insignia data sint ad decorandum capitulum, non vero in ornamentum distinctivum canonicorum. Canonici igitur qui, extra propriam Ecclesiam, in eadem etiam diœcesi, conciones habent, alias functiones obeunt, vel divinis intersunt officiis *ut singuli*, non possunt jure communi uti suis insignibus, cappa, rocchetto, mozetta, etc. Hæc autem insignia gestare ipsis datur in sua Ecclesia, dum functiones etiam non capitulares exercent, dummodo tamen non administrent sacramenta, quo casu leges rituales volunt ut sacerdos, quacumque dignitate polleat, utatur superpelliceo cum stola.

Dixi *jure communi*; videtur enim ex decisione S. Congregationis Rituum, die 7ª aprilis, anno 1852, excipi posse casum quo contraria consuetudo alicubi vigerit. Enim vero ad dubium propositum, « utrum canonicus qui per Apostolicas « litteras favore sui collegii canonicorum gaudet usu rocchetti « et mozettæ etiam coram pontifice, illis uti valeat in sacramentorum administratione, et verbum Dei annuntiando? » responsum fuit: negative ad *primam partem*, affirmative ad *secundam*, *sed in propria tantum Ecclesia, vel in aliis Ecclesiis ubi adest usus deferendi cappam, vel mozettam, juxta decretum in uno dubiorum diei 31 maii 1817.* Hæc decisio quæ in novissima collectione *Decretorum authenticorum* iisdem terminis inserta est ac in editione præcedenti, non pugnat cum decreto an. 1817 ad quod remittit, sed unam solummodo limitationem, apponit. Firmat decretum quatenus statuta fuerat lex generalis quæ in suo vigore remanet; limitat vero ad casum pe-

culiarem consuetudinis in contrarium inductæ, alioquin verba *vel in aliis Ecclesiis ubi adest usus*, etc., sensu omni careant, quod præsumere fas non est¹.

6° Ultimum tandem jus, seu privilegium, canonicorum refertur ad susceptionem sacramentorum viatici atque extremæ unctionis, et ad exsequias.

Duæ sunt regulæ generales, quarum una vult singulos fideles sacramenta recipere a paroco loci ubi domicilium habent; altera autem statuit ut fideles qui suam sepulturam non elegerunt, nec habent sepulchrum majorum, sepeliantur in Ecclesia ubi pabulo cœlesti refici consueverunt, ubi scilicet divina officia audire et sacramenta recipere debuerunt; unde canonistæ concludunt clericos habentes beneficium residentiale, sepelendos fore in Ecclesia cui addicebantur suo titulo et officio.

Quæstio est igitur an canonici habendi sint vere parochiani Ecclesiæ cathedralis, etiamsi commorentur intra fines alterius parochiæ, an sint potius parochiani loci ubi suum domicilium reale habent; a quo proinde, a capitulo an a paroco domicilii, ultima sacramenta, præcipue viaticum et extremam unctionem, recipere debeant. Non una fuit omnium ea de re sententia. Ipsa S. Congregatio concilii interpres, videtur ea de re decisiones contradictorias dedisse, ut refertur apud Ferraris, v° *Canonicatus*, art. VIII, n°s 14-20, quæ tamen facile explicari possunt, si attendatur ad diversitatem temporum et circumstantiarum. S. Congregatio Rituum, exortam controversiam inter Archiepiscopos Ecclesiæ cathedralis alicujus civitatis et parochos aliorum ecclesiarum ejusdem civitatis solvit, rescribendo, anno 1756, ut canonici qui domicilium habebant intra fines harum parochiarum ultima sacramenta reciperent a paroco domicilii,

¹ Statuta capituli eccl. Montisepulani quæ modo citavimus, ita de habitu canonicali decernunt: « Art. 2°... Tous les chanoines titulaires porteront leur habit de chœur dans toute l'étendue de notre diocèse, autant que les circonstances le permettront. 5° Les chanoines honoraires ne porteront ledit habit de chœur que dans l'Église cathédrale seulement et lorsqu'ils nous accompagneront dans quelques cérémonies. »

utque canonici decedentes intra fines earundem parochiarum tumularentur in Ecclesia cathedrali, solutis juribus parochialibus paroco domicilii. (*Decreta authentica*, n° 4262, ad VII, et ad XI.)

His standum est, quando quæstio ad terminos juris communis perpenditur; nihil vero obstat quominus aliter ordinatum sit statutis et consuetudinibus locorum, eo magis quod Episcopus valeat privilegia et immunitates a jure parochiali nonnullis communitatibus conferre¹ (n° 260). Porro praxis magis recepta in Galliis est ut « canonicis in mortis periculo constitutis, et in quacumque civitatis episcopalis parœcia degentibus, ultima sacramenta deferantur a capitulo præside... eorumque exsequiæ fiant in Ecclesia cathedrali, » quemadmodum statuit concilium Tolosanum, an. 1850 habitum. (Tit. I, cap. v, n° 27.)

ARTICULUS VI. — DE CŒTU CAPITULARI.

Ex ipsamet natura capituli sequitur canonicos identidem convenire debere in concilium, ad deliberandum de negotiis quæ ad suum officium attinent, ut valeant jurium capituli exercitio providere, et obligationibus satisfacere.

* 420. — I° *Ad quem pertineat cœtum capitularem convocare?*

Capitulum convocatur, tum ab Episcopo, tum a dignitate, ratione habita materiæ de qua agitur et statutorum.

I. Episcopus potest convocare capitulum quoties opportunum judicat illius consilium exquirere, in negotiis quæ referuntur ad bonum diocesis. Idem potest vicarius generalis, seu præsentem, seu absentem Episcopo, vi delegationis specialis ab Episcopo acceptæ.

¹ Cf. Reiffenstuel in titulum XXVIII, n°s 15-18, libri III Decretalium; — Pignatelli, tom. VIII, *Consult.* v.